

No. 683. 1384. 27. Apr.

*B. Nicolaus verfügt an den Decan, dass die den Vicaren der Domkirche zukommenden Präsenzelder bei deren Abwesenheit ihren Capellanen oder Stellvertretern gezahlt werden.*

Nicolaus dei et apostolicae sedis gratia ecclesiae Misnensis episcopus — volumus esse notum, quod cum in ecclesia nostra Misnensi quoddam dubium super ministracionibus praesentiarum capellanorum seu locatenentium vicariorum perpetuorum ecclesiae Misnensis absentium eisdem ipsorum capellanis seu locatenentibus praestandis vel non, exortum fuisset et esset, et ob hoc eodem durante dubio divini cultus reformatio penitus suspensa remaneret, et dicta nostra ecclesia non modicum pateretur defectum in divinis officiis nocturnis pariter et diurnis; nos igitur ex officii nostri debito dictum dubium declarando et decidendo decrevimus — et volumus, ut praedictis capellanis seu locatenentibus vicariorum praedictorum absentium ministraciones praedictae, quae alias vicariis perpetuis et temporalibus in choro suo tempore praesentibus ministrari consueverunt, ipsis similiter praesentibus sicut et aliis ministrentur, cum non indignum videatur, ut emolimenta sentiant, qui onera non recusant. Mandantes igitur in virtute sanctae obedientiae vobis domino ecclesiae nostrae praedictae . . decano, quatenus huiusmodi nostrum decretum, statutum et voluntatem ab omnibus quorum interest, auctoritate nostra ac etiam ex vestri officii debito in dicta nostra ecclesia inviolabiliter et incommutabiliter observari faciatis, contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam compescendo. Datum et actum apud sanctam Crucem prope Misnam anno domini M°.CCC°.LXXX. quarto die vicesima septima mensis Aprilis, nostro sub secreto praesentibus subappenso.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem kleineren Siegel des Bischofs an einem Pergamentstreifen.

No. 684. 1384. 25. Mai.

*Der Probst zu Wurzen Conrad von Widera beurkundet an das Capitel den vierten Theil seiner Besitzungen in Prausitz verkauft zu haben.*

Universis et singulis praesentes litteras intuentibus ego Conradus de Widera praepositus ecclesiae Wurtzinensis recognosco, quod honorabilibus viris dominis . . decano et capitulo ecclesiae Misnensis iusto emptiõnis et venditionis titulo interveniente vendidi quartam partem omnium bonorum in villa Magna Pruz cum plena proprietate et libertate pro centum et decem septem sexagenis grossorum Misnensium, promittens bona fide praefatis dominis . . decano et capitulo ecclesiae Misnensis pro vera et certa waranda dictorum bonorum ipsis venditorum iuxta morem et consuetudinem provinciae et terrae Misnensis fieri solita et consueta. In cuius evidentiam sigillum meum praesentibus duximus appendendum. Datum Misnae anno domini millesimo trecentesimo octuagesimo quarto ipso die beati Urbani.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Probsts an einem Pergamentstreifen.